

Miscellanea

Procurator generalis, Ign. Backx et Capitulum Generale Ordinis anni 1717

Inter procuratores generales Ordinis in urbe Roma, nemo, ut videtur, spatio tam protracto munus procuratorium exercuit quam Ignatius Backx, praeses Collegii S. Norberti in Urbe. Munus suum suscepit currente anno 1683, eoque strenue functus est usque ad obitum suum, die 3 Iulii 1726. In Necrologio abbatiae Tongerloensis, ad quam pertinebat vi professionis suae religiosae Backx, hac ratione summarie curriculum vitae eius exhibetur: «Amplissimus Dominus Ignatius Backx (Mechliniensis), natus 13 septembris 1650, professus 28 Augusti 1671, sacerdos et canonicus huius ecclesiae, sacrae theologiae licentiatus (12 Ian. 1677), circator, poenitentiarius in Duffel (1679), Romae sacrae theologiae lector, (1682), ibidem procurator generalis Ordinis et praeses Collegii (1683), abbas Belli-Campi (1697), simulque procurator congregationis Windesheimiensis (1710); obiit 1726». Addit¹⁾ editor Necrologii, W. VAN SPILBEECK, p. 130, n. 3: «Ignatius fratrem habuit Rumoldum B.M.V. Antverpiensis notissimum. Qua praeses in vinea Collegii nostri Romani splendidum aedificium a fundamentis excitavit, ipsumque collegium novis aedificiis auxit et exornavit, rem Praemonstratensem pro viribus procuravit ac summa cum laude promovit, in Urbe summis et infimis gratus».

In Catalogo nominum omnium alumnorum et aliorum Ordinis Praemonstratensis canonicorum qui habitarunt in Collegio Romano S. Norberti, confecto a praeside Collegii, Hanegraaf²⁾ (†1636), atque ab eius successoribus successive aucto, de Ignatio Backx, alumno Collegii, vix mentio fit. Ad annum 1672, haec relate ad adventum novorum alum-

¹⁾ *Necrologium Ecclesiae B.M.V. de Tongerlo, Ordinis Praemonstratensis* edidit et notis illustravit Fr. WALTANNUS VAN SPILBEECK, Tongerloae, 1902.

²⁾ Cornelius Hanegraaf, natus versus a.1595, professus abbatiae Tongerloensis, fuit inter fundatores et primos inhabitantes collegii S. Norberti in Urbe Roma. Fuit primus oeconomus huius domus; deinde, demortuo primo Praeside Collegii, in fine anni 1632, secundus praeses Collegii. Obit 21 iulii 1636, aquis fluminis Tiberini oppressus. Conscriptit italice compendium Vitae S. Norberti et biographiam B. Hermanni Ioseph. Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, Bruxellis, t. I, 1899, p. 351 s.; t. III, 1907, p. 72.

norum leguntur: «Nona Maii venerunt Romam studiorum causa fr. Gregorius Piera, Mechliniensis, sacerdos; fr. Basilius Marchant ...; fr. Ignatius Backx, subdiaconus, Mechliniensis, omnes professione Tongerloenses. fr. autem Basilius obiit vigesima Iulii in Collegio nostro, anno 1672, fluxu hepatico, sepultus in nostra capella. Fr. Ignatius Backx ordinatus est diaconus Romae in ecclesia S. Iohannis Lateranensis 24 Septembris anni 1674. Rediit Romam pro officio Lectoris anno 1682 et factus est praeses anno 1683, octava Septembris per litteras datas Tongerloae 18 Augusti». — Ad annum 1682, idem Catalogus haec notat: «Septima Novembris vesperi pro secunda vice Romam venit Exc.mus D. Ignatius Backx, S.Th. Licentiat, ut agat Lector S.Th. in Collegio nostro S. Norberti... Factus praeses post discessum Domini Valerii Mundelaers, 6a Iunii 1583³⁾. Sed patentes solemnes solum advenerunt octava Septembris eiusdem anni».

Procuratorem Generalem Backx non tantum in Ordine suo, sed insuper apud alias Congregationes religiosorum gavisum esse spectabili auctoritate morali, merito concluditur ex eo quod Canonici Windesheimienses⁴⁾ ipsum assumpserint in procuratorem generalem Romae. Ob merita sua specialia ipsi collata est praelatura, honoraria, abbatiae Belli Campi⁵⁾. In difficillimis et intricatis quaestionibus tractandis et pro posse solvendis sese constanter gessit uti vir sagax et prudens simul ac zelossissimus⁶⁾.

Anno 1686, celebratum fuerat Capitulum Generale Ordinis⁷⁾. In sessione decima sexta et ultima huius Capituli (die 1 iunii 1686), ita a praeside Capituli, Michaelae Colbert⁸⁾, coram Patribus Capituli

³⁾ Valerius Mundelaers, natus 4 augusti 1626, professus in Tongerlo, alumnus Collegii S. Norberti in Urbe; postea lector in eodem Collegio, deinde Praeses eiusdem Collegii. Obiit Tongerloae, 6 augusti 1699. Cfr. L. GOOVAERTS, l.c., t. I, p. 614.

⁴⁾ In Windesheim, prope civitatem Zwolle, Gerardus Groote, anno 1387 fundaverat monasterium canonicorum regularium. Paulo post cum paucis aliis communitatibus eiusdem generis congregatio quaedam constituta est.

⁵⁾ Abbatia ista Belli Campi identificanda videtur cum abbatia Beauchamp-en-Argonne: «Augustins du Val des Ecoliers, 1220, diocèse et arrondissement Verdun, commune: Clermont-en-Argonne, canton Beauchamp; département: Meuse». Cfr. L. CORTINEAU, *Répertoire Topo-Bibliographique des Abbayes et Prieurés*, t. I, Maçon, 1939, p. 291.

⁶⁾ Cfr. L. CEYSSENS, *Suites romaines de la confiscation des papiers de Quesnel* in *Bulletin de l'Institut Historique belge à Rome*, 1955, XXIX, pp. 6, 11, 12; *Diarium romanum* van P. Bernardus Désirant: ib., 1941, XXI, pp. 258, 260, 286.

⁷⁾ Acta et Decreta communia huius Capituli impressa extant. «Coloniae Agrippinae Imprimebat Vidua Petri Hillen. A° MDCLXXXVI, 36 pp.».

⁸⁾ Michael Colbert abbas fuit Praemonstrati et Abbas generalis Ordinis annis 1667-1702. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*. Tom. II, Straubing, 1952, p. 529.

edictum fuerat: «Tum Reverendissimus Dominus Praemonstratensis, ad preces Dominorum Abbatum Germanorum, una cum Capitulo Generali, indixit locum proximi Capituli Generalis, *Dominica Cantate* post Pascha⁹⁾, anni 1689 celebrandi in abbazia Belli Reditus¹⁰⁾, in Civitate Leodiensi, sub beneplacito Regis Christianissimi, et salvo iure Matricis Ecclesiae Praemonstratensis»¹¹⁾.

Capitulum Generale, indictum pro anno 1689, de facto numquam celebratum est. Ante annum 1717, sermo non fuit de Capitulo Generali de facto celebrando et celebrato. Et huic Capitulo de facto Praelati variarum regionum interesse non potuerunt. Quod aperte fatentur abbates Lotharingiae et Belgii¹²⁾. Capitulum anni 1717 celebratum est Praemonstrati, a die 25 Aprilis usque ad diem primam Maii inclusive.

⁹⁾ Inde a tempore abbatis Praemonstratensis, Simonis de la Terrière (1458-1470), Capitulum Generale initium habebat non amplius die 9 octobris, in festo S. Dionysii, uti antea mos erat, sed Dominica quarta post festum Paschae, cuius Dominicae textus Introitus S. Missae incipiebat: *Cantate Domino*. Cfr. Ch. TAIEE, *Prémontré*, t. I, Lauduni, 1872, p. 112.

¹⁰⁾ Abbazia Belli Reditus sita erat in civitate Leodiensi. Pro abbatibus Germaniae et aliarum regionum sitarum trans flumen Rheni, facilius accessus absque dubio facilius erat quam iter instituendum in Prémontré. De facto Capitulum Generale hac ratione annuntiaturum numquam locum habuit.

¹¹⁾ Admittendo pro hac vice celebrationem Capituli Generalis futuri anni 1689 in abbazia Belli Reditus, renuntiare non voluit abbas Praemonstratensis iuri consuetudinario vi cuius Capitula Ordinis Generalia Praemonstrati celebrari solebantur.

¹²⁾ Relate ad abbates Lotharingiae huius aetatis, testatur abbas Buciliensis, Humbert, in suo Diario. Cfr. Th. RÉJALOT, *Le journal de Humbert, abbé de Bucilly*, in *Anal. Praem.*, 1931, VII, p. 163 s.: «On avait l'indiction d'un Chapitre général. Déjà de puissans abbés de Bohême estoient passé par Verdun ... On les vit repasser le lendemain, par ce que l'empereur avoit révoqué toutes ses permissions et défendu à tous ses sujets d'assister à ce Chapitre. Ce qui détourna nos RR. Abbes de Lorraine. Nous nous y rendimes au nombre de quinze tant Abbés que Prieurs. Le Chapitre fut révoqué pour un temps puis rappelé. Enfin cinq ou six Abbés étrangers donnèrent le nom de Chapitre gnal. C'étoit Augia minor, Rothensis, Bellelagiensis, Vadegotiensis, et Knestedensis, avec un Prevot polonais et un particulier de Vestphalie. Les réformés y furent traités d'une manière remarquable ... On a imprimé les actes de ce prétendu Chapitre gnal, mais ils n'y sont pas tous. On n'a pas imprimé la confirmation de l'acte de préséance du tres R.P. Abbé de Cuissy sur tous les Abbés de la Congrégation, excepté ceux qui sont définiteurs du regime après lesquels il doit marcher, bien entendu que le Vicaire gnal marche à la teste de tous qu'il soit abbé ou non». — In Diario abbatis Grimbergensis, Van Eeckhout (abbas aa. 1716-1747), asservato in archivio abbatae Grimbergensis, sermo fit de Capitulo Generali anni 1717, et quidem his verbis: (l.c., pp. 56-59). «Indixerat D. Generalis 2a Novembris anni proxime elapsi (1716), Capitulum Generale Praemonstrati, celebrandum Dominica Cantate huius anni (1717), quae erat 25 Aprilis; et Excellentissimus D. Marchio de Priez suae Maiestatis Plenipotentarius, eiusdem nomine 24a Aprilis singulis Abbatibus inhiuit, ne per se aut deputatum Capitulo interessent, tum quod in novissimo Generali Capitulo de anno 1686 ad instantiam

Acta et Decreta huius Capituli Generalis, praeside abbate Praemonstratensi, Claudio Honorato Lucas, typis impressa sunt Parisiis, typis J.B. Christopholi Ballard, 20 pp. — Extracta ista impressa in variis Archivis adsunt¹³).

De his Actis, in genere, in praesenti agere non intendimus. Potius agemus de litteris a procuratore generali, Backx, ad illud Capitulum missis, die 13 Martii 1717. Litterae illae autographae asservantur in archivo abbatae Wiltinensi (Lade 7, V 1 b.). Litteras illas, in quibus vivide status Ordinis, vario sub respectu, a procuratore Backx, exponitur, hic subiungimus, additis notis nonnullis; prae oculis habendo illa quae ex Actis Capituli transparent relate ad ea quae indicavit ipse Backx.

Litterae Procuratoris Generalis Ignatii Backx ad Capitulum Generale anni 1717

Illustrissime, Reverendissimi et Amplissimi Domini,

Repletus sum consolatione et superabundo gratia, ex quo renunciatum est mihi de bona intentione et resolutione Illustrissimi Domini

Abbatum Nationis Germaniae locus proxime futuri Capituli designatus fuisset Abbatia Belli Reditus, tum quod absentia Abbatum in Statibus Brabantiae his rerum temporumque circumstantiis minime conveniret». Notat ulterius abbas Van Eeckhout se Bruxellis obviam habuisse nonnullos Abbates (Steinfeldensem, Strahoviensem, Lucensem, etc.) qui ad Capitulum pergentes, iter suum non perrexerant, ob oppositionem Gubernatoris regionis. Quidam autem Abbates ex illis, postea licentiam obtinuerunt audeundi Praemonstratum; qui, redeuntes in patriam, Capitulo absoluto, obviam habuerunt abbatem Van Eeckhout. Cfr. J.B. VALVEKENS, *Capitulum Generale anni 1717 et «Jansenismus»* in *Anal. Praem.*, 1959, XXXV, pp. 153-163. Ex iis quae hac occasione abbas van Eeckhout didicit ex ore abbatum redeuntium a Capitulo anni 1717, constat satis nervose in Capitulo disputatum esse de materia theologica, in specie de doctrina gratiae ab Ordine fovenda. Exinde etiam sequitur procuratorem generalem Ordinis, Ign. Backx, de hac materia litteras misisse ad Capitulum Generale. Dixerunt quidem Abbates illi germani, abbatem Grimbergensem invisentes, sese oppositos fuisse «petitioni Procuratoris generalis Ordinis in Curia Romana, scilicet Ampl. D. Ignatii Backx, ibidem Praesidis Collegii S. Norberti de Urbe, id est Tongerloensis, qui per litteras Capitulum rogaverat, ut omnes Ordinis nostri scholae theologicae Capituli decreto adigerentur ad sequendam sententiam SS. Augustini et Thomae, ut adversariis doctrinae nostrae suam appellare libet: huic inquam petitioni se opposuerunt dicentes se videre, quo haec tenderent, scilicet ad introducendam gratiam quam per se efficacem appellant, quo dogmate ipsi eorumque Circariae prorsus essent alienae. Unde nec quicquam hac in parte decretum fuit. (Diarium Abbatis Van Eeckhout, l.c., p. 59). — Cfr. de hac materia H. TUECHLE, *Die Bulle Unigenitus und die süddeutschen Prämonstratenser* in *Hist. Jahrbuch*, 1955, LXXXIV, pp. 342-350.

¹³) Fragmenta talia habentur v.gr. in arch. Averbodiensi (I, II.f.III); Bibl. mun. Nancy, ms. 994, fol. 411b-412b; Arch. Episcop. Coloniens., Hs. E 6.

Praemonstratensis¹⁴⁾ coruscantis et Reverendissimarum Dignitatum vestrarum convenientium in unum, et quidem in domum Praemonstratensem, quae est Petra unde excisi sumus, in qua Sanctissimus Pater noster Norbertus accendit spiritum illum quem in totum (qua late patet), sacrum Ordinem Praemonstratensem diffudit. Verumtamen majorem contemplationem acceperim et majorem plenitudinem gaudii si sacro vestro coetui et ornatissimae coronae Fratrum interesse potuissem. Tria sunt quae tantum mihi impediunt bonum; primum, certa quaedam infirmitas sudorifera, quam a quadraginta et amplius annis patior, et quae mane quotidie me lecto adstringit; ex quo sequitur secundum, nimirum incommodum itinerantis praesentis stationis temperies, utpote frigori, nivibus et pluviis subiectas, quae omnia superari potuissent; ni tertium et maximum impedimentum adfuisset, defectus scilicet necessarii viatici, quod mihi, ut Ministro communi totius Ordinis a toto Ordine subministrandum iustitia dictat. Sed tantum abest, quod illud subministretur; ut neque talliae alimentis et aliis in Curia Romana necessariis provide constitutae a plerisque Circariis fuerint persolutae. Per triginta quinque annos et ultra¹⁵⁾ sustineo onus Procuratoris Generalis, et Dei, ac ipsa Curia testibus, adimpleo ministerium meum, et tamen exceptis Circariis Germaniae Superioris et illa Brabantiae, nulla aliaque tot annorum spatio vel unum contribuit minutum. Et quidem quod non sine rubore quo cogor: Circariae in Regno Galliae inclusive, scilicet Franciae, Pontivi, Burgundiae, Campaniae, Alverniae, Gasconiae et Lotharingiae et Normanniae; quae, attenta Monasteriorum paupertate, ad infimum taxatae reperiuntur, nimirum ad quadringentas et viginti quatuor Libras Galliae tantum, monito licet saepius Illustrissimo Generali, tam moderno quam eius Praedecessore¹⁶⁾, ad quos per Procuratorem in aula Parisiensi cura transmittendi spectat, iuxta ordinationem Capituli Generalis anni 1652¹⁷⁾, nihil omnino

¹⁴⁾ Inde ab anno 1702, abbas Praemonstratensis erat Claudius Honoratus Lucas de Muin, usque ad diem 13 Novembris 1740, quo die decessit. Cfr. Ch. TAIEE, l.c., t. II, Lauduni, 1873, pp. 180-184.

¹⁵⁾ Ignatius Backx erat Procurator generalis Ordinis apud Curiam Romanam inde a recessu Valerii Mundelaers de Urbe, 6 iunii 1673.

¹⁶⁾ Abbas generalis Ordinis inde ab anno 1702 erat Lucas de Muin; ante annum 1702, Michael Colbert.

¹⁷⁾ Procurator Backx citat hic textum Capituli Generalis anni 1552. — De hac materia etiam actum est in Capitulo Generali anni 1556, sessione undecima. (ms. Laon 538, p. 718), in qua haec determinata sunt: «Item ad propositionem Capituli Provincialis Bavarici superi, Capitulum decernit esse constituendum Romae procuratorem Generalem cum socio religioso ad iura Ordinis defendenda, hoc addito quod quicumque

miserunt, adeo ut computu benigno, ipse Illustrissimus D. Praemonstratensis pro Circariis suis debeat mihi ultra millia et quingenta scuta Romana, quod pessimum exemplum sui Capituli secutae sunt duo celebres Circariae in Belgio, Flandriae scilicet et Floreffiae, quae cum nihil umquam etiam solverint, debeant singulae ad mille centum et quinquaginta scuta similiter Romana. Sed neque computari meretur quod per frequentes et opportunas, importunasve monitiones a Circaria Bavariae accepi annis 1700, scuta Romana 109 cum 20 biocis, per Revmum Michaellem, Abbatem Osterhoviensem, tunc Vicarium Generalem¹⁸⁾, et Anno 1712, cura et sollicitudine Reverendissimi Wilthinensis¹⁹⁾, de suo credito scuta 66 cum 47 biocis; in toto scuta Romana 175, 50 biocae. Sed quid est ad tallias triginta quinque annorum quando a primis annis a facta taxatione in Capitulo Generali anni 1651 ad Florenos 100. Praedecessori tunc meo²¹⁾, soluta reperio scuta Romana viginti unum, et viginta tria, sicuti in Circaria Sueviae, quae punctualiter quidem solvit, sed ad scuta quatuordecim restrinxit. Polonica vero nihil umquam contulit.

Testes appello Illustrissimum D. Generalem, et Reverendissimos D. Praelatos, de quibus locutus sum, praesentes adsunt, ipsi loquuntur si quid habent propalatam veritatem, si non habent quod reponant, permaxime interest toti sacro Ordini nostro, quod probare superfluum foret. Legantur quae fecerunt Maiores nostri, quanta sollicitudine procuraverint apud Sedem Apostolicam facultatem vivendi et tenendi in Curia Procuratorem Generalem pro toto Ordine, quorum precibus inclinatus Gregorius IX per Bullam de 17. Kalendas Februarii 1233 (apud Le Paige, fol. 657)²¹⁾, benigne concessit Domino Praemonstra-

litem aut negotium quaecumque Romae habuerit, teneantur illud per eiusmodi procuratorem generalem procurare, et expensas litis aut negotii eidem subministrare. Dictis etiam procuratori et socio summam mille centum viginti librarum francicarum Turonensium pro victu et vestitu assignat, a singulis monasteriis et beneficiis Ordinis iuxta taxam desuper factam solvendam, et per Vicarios Romae persolutam, in partibus cambii liberam, et integram submittendam».

¹⁸⁾ Abbas iste erat Michael Steinmayer, qui fuit abbas Osterhoviensis annis 1675-1711, et Vicarius Generalis Circariae Bavaricae inde ab anno 1679. Cfr. N. BACKMUND, l.c., t. I, Straubing, 1949, p. 45 et 35.

¹⁹⁾ Gregorius von Stremer abbas erat Wiltinensis annis 1693-1719. Cfr. de hoc abbate H. SZANTO, *Die Hausordnung des Abtes Gregor von Stremer aus dem Jahre 1699: An. Praem.*, 1954, XXX, pp. 178-218.

²⁰⁾ Valerius Mundelaers. Cfr. supra, n. 3.

²¹⁾ Vi huius Bullae «Devotionis tuae benignum impartientes», conceditur Ordini Praemonstratensi ut constituatur ab Abbate Praemonstratensi, cum consensu Capituli Generalis, Procurator apud Curiam Romanam. Pro textu Bullae remittit Backx ad J. LEPAIGE, *Bibliotheca Ordinis Praemonstratensis*, Parisiis, 1633, col. 657.

tensi, ut *cum consensu Generalis Capituli*, liceat ipsi constituere Procuratorem Generalem in Curia Romana.

Quam quidem necessitatem si qui fortasse minus quam oporteat apprehendant, discant et Regibus et Principibus, qui scientes quantum intersit Regnis et Principatibus suis habere apud S. Sedem in Curia Romana Ministros continue residentes, magnis utique sumptibus pro qualitate cuiusque mittunt, et intertenent Legatos, Agentes, Curiales et huiusmodi cum annuo respective stipendio unicuique proportionato; quanta quam maior necessitas in Religiosis Ordinibus, qui passim gloriantur se immediate subiectos summo Pontifici; et exemptos ab omni alia Iurisdictione, pro cuius manutentione non raro contendendum cum Episcopo et aliis Potestatibus, sive Ecclesiasticis, sive Saecularibus, uti in laudata Bulla Gregorii noni²²).

Non dubito quin idem sentiatis omnes quamdiu estis congregati in unum, sed hoc sacro coetu dissoluto, quisvis erit, qui de mediis necessariis subministrandis erit solutus? Iniuriosa mea aetate tres Procuratores Generales Romae cognovi, D.N. Carette²³), D.Fr. Burette²⁴), ambo Praemonstratenses, tertii nomen excidit, qui de Abbate commendatario factus fuerat Abbas regularis Casae Dei²⁵); omnium statutae erant talliae; qui, cum paulatim taxa coepisset imminui et morosa fieret solutio, omnes ad domum suam se recipere coacti sunt.

²²) Secundum textum huius Bullae relato apud Le Paige, l.c., constitui potest Procurator Ordinis «ad imperandum et contradicendum in Romana Curia».

²³) Ignatius Backx Romae commoratus erat annis 1672-1677, qua alumnus Collegii S. Norberti in Urbe; iterum Romam tetendit, anno 1682, qua lector sacrae Theologiae in Collegio Ordinis, donec anno 1683, constitutus fuerit procurator generalis Ordinis ac praeses Collegii. — Petrus Carette, canonicus Praemonstratensis abbatae erat. De eo testatur Obituarium abbatae Praemonstratensis: «quondam prioris Loci Restaurati et procuratoris generalis in Curia Romana». Cfr. *L'Obituaire de l'abbaye de Prémontré*, ed. R. VAN WAEFELGHEM in *Analectes de l'Ordre de Prémontré*, tt. V-VIII, sub nr. 146. — Asservantur in archivio abbatae Parcensis nonnullae litterae missae ab hoc procuratore generali Abbati Parcensi, Liberto De Pape, conscriptae annis 1658-1668. (Arch. Parc., Li. XXI, cas. XVII).

²⁴) Franciscus Burette secretarius fuit Capitulorum Generalium annorum 1666 et 1670. Annis 1671-1685 abbas fuit Ianduriarum. In *Obituário Praemonstratensi*, haec de ipso dicuntur, III Kal. Octobris (19 Sept.): «Reverendi dom. Francisci Burette, hui. eccl. can. necnon abb. sancti Iohannis de Castello, quond. in curia Romana procuratoris generalis». R. VAN WAEFELGHEM, l.c., p. 189. Cfr. etiam L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, t. I, p. 96.

²⁵) Agi videtur de Abbate Daniele de Barès de St. Martin, qui, postquam Abbas commendatarius fuerat Casae Dei = La Case-Dieu (in dioecesi Auxitana = Auch) anno 1669, annis 1673-1693, abbas regularis est eiusdem abbatae. Cfr. N. BACKMUND, l.c., t. III, Straubing, 1956, p. 174.

Tandem anno 1684 mihi Procura Generalis commissa fuit ab Illustrissimo D. Michaelē Colbert²⁶⁾, ac promissa solutione, quam ipse nullatenus praestitit et aliae Circariae pro parte tantum iuxta dicta superius; ita ut vere dicere possimus me plura expendisse in servitium sacri Ordinis nostri, quam ab ipso acceperimus, et defectu necessariorum, sicut caeteri abscedere debuissē, nisi Collegium, cui praesum²⁷⁾, mihi providisset; quod quam sit alienum a iusto, et nocivum Reverendissimo Tongerloensi, Supremo huius Collegii moderatori, nemo non videt. Hinc est quod (iuxta praescriptum in Statutis Generalibus, dist. 4., cap. 15, n. n. 16)²⁸⁾, dimitto hodie ad dispositionem Illustrissimi Domini Praemonstratensis, totiusque Capituli Generalis, non facile reassumpturus, nisi pro annis praeteritis, si non plena, discreta saltem et honesta per indigitatos superius debitores fiat acceptatio; et pro futuris — si mihi restituendum censueritis — competens decernatur securitas.

Hoc porro hic sacer Coetus advertat rogo. Cuicumque alteri Procuratori Generali fortassis eligendo, providemus imprimis de congruo domicilio, qui Reverendissimus D. Meus Tongerloensis pro sua ad studia promovendo zelo²⁹⁾, Collegium suum S. Norberti de Urbe, plenarie vacaret, non foret pro Procuratore Generali, Socioque et famulo idoneum; quare pinguiores provisionem pecuniariam illi statuendam, quae et Domicilium sibi conducere et honeste secum socio, et famulo intertenere, et consueta et quasi debita in Curis honoraria valeat

²⁶⁾ Inde ab anno 1683, Backx munere procuratorio fungebatur; anno 1684, litterae authenticae relate ad illud munus suscipiendum ex parte Abatis Generalis Colbert missae sunt.

²⁷⁾ Simul cum munere Procuratoris Generalis Backx erat praeses Collegii S. Norberti Romae; in quo Collegio domicilium suum habebat.

²⁸⁾ Numerus Statutorum, de quo hic mentio fit ita sese habet: «... (Capitulo Generali incipiente) singuli Visitatores, et omnes qui a solo Domino Praemonstratensi, sive ab ipso et a Capitulo Generali iunctim, aliquod officium vel aliquam habent commissionem, ad manus Domini Praemonstratensis commissiones suas resignent, qui eas acceptabit, et postea, prout bono Ordinis expedire visum fuerit, ex iudicio Capituli Generalis, vel restituet vel reservabit, ita tamen ut novi Visitatores ex ipsa Circaria visitanda, vel ex alia (prout Abbati Praemonstratensi et Capitulo Generali expedire videbitur) assumantur». Acta Capituli Generalis anni 1717, iuxta textum impressum, de tali explicita confirmatione muneris procuratorii Backx nihil dicunt; de facto videmus Backx suo hoc munere ulterius functum esse.

²⁹⁾ Annis 1695-1723, abbas Tongerloensis (ad quam canoniam vi professionis pertinebat Backx) erat Gregorius Piera. De ipso hoc abbate scribit W. VAN SPILBEECK, *De abdij van Tongerlo*, Lirae, 1888, p. 523: «Wiens (van Gregorius Piera) grootste lof het was, dat hij steeds den eerbied, aan den pauselijken stoel verschuldigd, betoonde, aanbeval en bevorderde, ten tijde dat zooveel in de Nederlanden, van de Jansenische ideeën doortrokken, daaraan tekort kwamen».

exsolvere. Habetis exempla Cisterciensium et Benedictionorum S. Mauri, quorum Procuratores Generales in vicinia nostram (sic!) conductam inhabitant, assignato utique (ni fallor) septingentorum scutorum provisione. Non existimo, quod sacer hic coetus de tanta summa sit responsurus, imo nec quingenta (quae bono Oeonomo fortasse sufficerent) ausim sperare, longa utique tot Annorum, sicut supra, experientia edoctus.

Haec sunt, quae in hoc puncto, profecto non minimo, sed serio expendendo, pro exoneranda conscientia mea, proponenda et monenda duxi. Quantum ad alia sacrum Ordinem concernentia, haud opus censeo informare Dignitates vestras, quae procul dubio melius noverint quae et qualia pro bono disciplinae et regiminis corrigenda, statuenda, confirmanda, vel reformanda videbuntur. Ne tamen solum punctum Procuratoris Generalis in Curia Romana cordi habere videar, haec pauca sequentia in praesenti Sacra Congregatione examinanda subicio.

Primo, Statuta nostra Generalia licet sancte, solideque digesta et eruditione plena, ita uti non sit facile addendum quidpiam, vel demendum; nihilominus cum nihil sub sole stabile, et ipsa temporum mutatio rerumque quae humanam mutationem inducat, forte non esset abs re deputare de gremio Matris nostrae eruditos, et exercitatos in omni genere disciplinae, qui eadem Statuta ad mentem revocantes, postmodum exponant si quid in aliquibus Capitulis tollendum, vel addendum, aut moribus hodiernis accommodandum iudicaverint, quod vel maxime necesse fieri convenit, quando deficientibus consumptisque exemplaribus Lovaniensibus³⁰⁾, nova Statuta necessario ordinanda erunt.

2^o Sistenda libertas et corrigendus error, pergīt irrepere in imprimendis Breviariis et Missalibus Ordinis nostri³¹⁾, in tantum ut a Maioribus nostris amplius non agnoscerentur ut propria; siquidem nonnulli hodie studere videntur, ut expunctis Rubricis nostris, iam ab olim propriis,

³⁰⁾ Statuta illa approbata et evulgata sunt a Capitulo Generali anni 1630; et paulo post edita, cura Abbatis Parcensis, Drusii, et impressa typis Bernardini Masii. — Backx scribit novam impressionem horum Statutorum sibi videri necessariam; de facto in Actis Capituli anni 1717 de tali reimpressionem sermo non fit.

³¹⁾ Cfr. de novis editionibus librorum liturgicorum Ordinis: Pl. LEFÈVRE, *La Liturgie de Prémontré. Histoire, Formulaire, Chant et Cérémonial*. (Bibliotheca Analectorum Praemonstratensium. Fasc. 1). Lovanii, 1957, p. 31 s. — Legendo litteras procuratoris Backx, apparet hunc procuratorem omnino concordare cum iudiciis ferme reprobatoriis plurimorum relate ad «correctiones» ea aetate introductas in libris liturgicis Ordinis. Cfr. etiam W. ROSCHER, *Die Verbreitung, Pflege und Krisis der liturgische Gesangskultur im Prämonstratenserorden* in *Anal. Praem.*, 1960, XXXVI, pp. 16-37.

et inverso ordine Officiorum, versique in Cacophoniam Hymnis, novum omnino ritum inducant cum praeiudicio antiquitatis et proprietatis Rituum nostrorum, quam restabiliendam, et fortiter retinendam proposui.

3° Si quae tamen novorum Statutorum officia inserenda elegerint, id fiat non pro cuiusque particularis devotione, vel, ut saepe contingit, partiali inclinatione, sed communi Capituli decreto, ut et confessionis caveatur occasio, et privilegiorum nostrorum manuteneatur observantia³²⁾.

4° Officia Sanctorum Ordinis nostri, qui ab immemorabili cultum habent in Ordine, etiamsi solum in una Provincia sua respective die, et ordine, totius Ordinis Breviario et Missali inserenda videntur, non obstantibus praetensis Decretis Sacrae Congregationis Rituum, quae ad eiusmodi Sanctos extendi pridem demonstravi Reverendissimo Etheart, quondam Abbati Lucernensi³³⁾, Breviariorum Gallicanorum compilatori, me tunc temporis consulenti.

5° Capitulum Provincialium usus, qui multis in locis prorsus obsolevit plane restituendus, et modus ea congregandi praefigendus,

³²⁾ In a sessione prime Capituli Generalis anno 1717, decisiones latae sunt de his punctis.

³³⁾ De facto in Capitulo Generali anni 1717, decisiones nonnullae latae sunt relate ad festa Sanctorum Ordinis celebranda. — De libris usualibus liturgicis Ordinis egit Capitulum Generale anni 1717. Iam in sessione sua prima «proposuit (Dominus Generalis) Amplissimo Capitulo deesse penitus usualium librorum Ordinis exemplaria atque necesse esse omnino de novo imprimi. Respondit Capitulum posse imprimi ex nunc libros Chorales; quod autem spectat ad Statuta et Ordinarium, expectandum esse donec consulti singularum Circariorum Vicarii memorialia sua ad Reverendissimum Dominum Generalem infra annum transmiserint». — Iohannes Etheart, de quo hic sermo fit, superior erat monasterii Praemonstratensis S. Sacramenti Parisiensis, annis 1682-1685; et 1691-1694. A rege Galliae, a. 1700 abbas Lucernensis (La Luzerne) constitutus est. Anno 1698, ipso curante, editum est Breviarium Praemonstratense, typis Frederici Leonard, typographi Parisiensis. Cfr. de ipso L. GOOVAERTS, l.c., t. I, p. 63. — Th. RÉJALOT, l.c., p. 153. — De Breviario ipsius cura edito haec scribit C.L. HUGO, *Sacri et Candidi Ordinis Praemonstratensis Annales*, t. II, Nanceii, 1736, col. 98 s.: «Ipse, anno 1698, editionem Breviarii Praemonstratensis, elegantibus typis Frederici Leonard, sub Michaelae Colbert generalis nomine, vulgatum, sed ab Ordine ob innovationes et immutationes tam in lectionum textu, quam in rituum forma, sine Ordinis consensu, invectas, prorsus repudiatum; eidem debet Congregatio reformata (Ordinis Praemonstratensis) compilationem variarum a variis Capitulis, emanatarum sanctionum, ad mores, ad disciplinam et reformationem collimantium, sed propter subinducta quaedam decreta ad authoris mentem conficta, libellus iste inter apocrypha recensetur. Scripsit etiam apologeticam dissertationem pro asserenda visione B. Mariae et ostensione habitus candidi facta B. Norbert. Paucis paginis sub titulo: Les pieuses fables, probationes confecit, quo successu, penes lectores sit iudicium, mea enim res tunc agebatur, et quibus potui argumentis, in Diario Sodoloritano eam defendi».

ad quod etiam Priores vel Discreti, et unus vel duo a Capitulis localibus deputandi, convocari debent, super quo novus articulus vel novum caput Statutis generalibus inserendus.

6° Novus etiam articulus, seu caput novum Statutis statuendum de Procuratore Generali in Curia Romana et eius officio, praerogativis, etc., ut sit officium nominatum, sicut in omnibus aliis Religionibus et statuendum a quo eligi, et quamdiu durare debeat, quamvis si probetur idoneus, non videatur facile mutandus, tum propter peritiam linguae Italicae, omnino necessariam, tum propter passim stylum Curiae, quam non omnes facile acquirunt.

7° Subicio pro coronide utilissimum fore sacro Ordini nostro, si novum Bullarium viro idoneo et habenti genium demandaretur, in quo omnes Bullae Pontificum aut Donationes Episcoporum, sive toti Ordini sive Provinciis, aut etiam Ecclesiis particularibus concessae registrarentur per extensum; pro quo conficiendo excuti debeant non solum Archivia Praemonstratensis Ecclesiae, sed omnium omnino totius Ordinis; quae Bullae sic repertae remittendae Deputatis super ipso Bullario conficiendo. Etenim in lite quam pro Reverendissimo Belli Reditus³⁴), verius pro toto Ordine contra Serenissimum Principem et Episcopum Leodiensem³⁵), in puncto revocabilitatis Pastorum nostrorum ex voto terminavi; non ego, sed gratia Dei mecum; in illa inquam lite didici quam utile foret opus huiusmodi; quia a parte adversa in dubium trahebatur Bulla illa Ioannis 23³⁶); quando, Deo volente, post datam licet sententiam, Reverendissimus Steinfeldensis³⁷), misit mihi instru-

³⁴) Abbas Belli Reditus tunc erat Henricus Julin. Cfr. U. BERLIÈRE, *Monasticon Belge*. T. II, *Province de Liège*, Maredsous, 1929, p. 234 s.: «Henri Julin, de Liège, neveu par sa mère de l'abbé Defraisne, étudia la philosophie à Douai avant d'entrer à Beaufort. Lecteur de philosophie et de théologie pendant 14 ans, curé de Soumagne pendant 20 ans, il combattit le protestantisme qui s'infiltrait dans la principauté. Il fut élu abbé le 18 août 1706, à l'âge de 59 ans, confirmé le 3 septembre et béni le 3 octobre suivant. Le 31 mars et le 27 novembre 1719, il envoya à l'abbé Hugo d'Etival des copies de chartes et de nombreux documents relatifs à l'histoire de son monastère... Il mourut le 26 mai 1733, à l'âge de 87 ans, dont 67 de profession et 64 de sacerdoce».

³⁵) Annis 1694-1723, Ioseph-Clement Bavariensis princeps-episcopus erat Leodiensis; ad quam civitatem et urbem pertinebat abbatia Belli Reditus. Cfr. P.B. GAMS, *Series Episcoporum Ecclesiae Catholicae*, Graz, 1957, p. 249.

³⁶) Agitur de Bulla: «Nuper dilectis filiis», initio mensis Iulii a Iohanne XXII Ordini Praemonstratensi concessa, vi cuius Canonici paroeciales delinquentes a Superioribus propriis regularibus ad claustrum revocari possint. Cfr. I. LE PAIGE, l.c., p. 711 s.

³⁷) Annis 1693-1732, Michael Küll abbas erat Steinfeldensis. Inde ab anno 1716, erat Vicarius Generalis Circariae Westphaliae. Cfr. N. BACKMUND, l.c., p. 195.

mentum authenticum publicationis dictae Bullae per dioecesim Coloniensem, quod ad meam instantiam facta perquisitione in suis Archivis repperat. Vix dubito, quin similes thesauri in aliorum etiam delitescant, quos proinde eruendos censeo. Quare, etc.

Deus sit in cordibus et in operibus Dignitatum vestrarum, quibus me, et omnia mea humillime subicio, et maneo.

Illustrissime, Reverendissimi et Amplissimi Domini, Romae, 13 Martii 1717. D.D.V.V.

Filius, Confrater et Servus observantissimus,

Ioes. Ignatius Backx, Abbas Belli Campi, Proc. Gen. Praemonstr.

Hucusque tenor litterarum missarum a Procuratore Generali apud Curiam Romanam Illustrissimo Abbati Generali et Patribus Capituli Generalis anni 1717.

Acta Capituli Generalis anni 1717, sicut impressa habentur, obvie non referunt omnia et singula in illo Capitulo tractata et statuta. In Actis illis nullibi sermo fit de litteris istis Procuratoris Generalis Backx. Ex illis Actis etiam non constat quot et quinam Abbates de facto interfuerint Capitulo illi. Quatuordecim Definitorum nomina indicantur, inter quos duodecim Abbates: Abbas Cuissiacensis, quartus Ordinis pater (ad strictiorem observantiam pertinens); Abbas Clarifontis, Vicarius Generalis; Minoraugiensis, Vicarius Generalis; de Castello, Vicarius Generalis; Rothensis; Knechtstedensis; Sancti Augustini Tarvanensis; Bellelagiae; Vadegotiae; Montis Dei (antiqui rigoris); Praepositus Zabrdovicensis; tandem Prior Praemonstrati et Prior Collegii Parisiensis. In fine Capituli, in sessione duodecima, nomina proclamantur Vicariorum Generalium ac Visitorum Circariarum; additurque constitui «in Procuratorem Generalem in Curia Romana, R.D. Abbatem Belli-Campi» seu Ign. Backx.

Uti ex litteris procuratoris Backx Capitulo Generali missis patet, procurator, praeter questionem talliarum sibi debitarum, alia plura puncta, secundum mentem suam, tractanda in Capitulo indicaverat. Quaestio proinde merito ponitur an et qua ratione Capitulum de his punctis decisionem tulerit. Haec summarie indicamus, in quantum constant ex Actis Capituli impressis.

1. In prima sessione haec declarata sunt de librorum usualium impressione: «Proposuit Amplissimo Capitulo deesse penitus usualium librorum Ordinis exemplaria atque ita necesse esse omnino de novo imprimi. Respondit Capitulum posse imprimi ex nunc libros Chorales;

quod autem spectat ad Statuta et Ordinarium, exspectandum esse donec consulti singularum Circariarum Vicarii memorialia sua ad Reverendissimum Dominum Generalem infra annum transmiserint». Libri illi usuales liturgici de facto paucos post annos impressi sunt³⁸).

2. De celebrandis Capitulis Provincialibus haec statuta fuerunt in secunda sessione Capituli: «Decrevit Capitulum ut in singulis Circariis quando Capitulum Generale non celebratur, Capitulum Provinciale instituatur quo frequentius fieri poterit, singulis trienniis ad minus».

3. De Bullis, Ordini aut canonis concessis, colligendis et forte edendis, Capitulum haec edixit in secunda sessione: «Capitulum volens historiae, utilitati et decori Ordinis providere, elegit et nominavit R. adm. Ludovicum Hugo, Abbatem Fontis Andreae³⁹), qui Bullas Pontificias et omnia Ordinis monumenta ab omnibus et singulis Monasteriorum Superioribus, propriis et eorum expensis ad ipsum transmittenda exigere possit et in unum colligere». Iterum in septima sessione de eadem fere materia actum est occasione libelli supplicis transmissi ex parte R.P. Nicolai le Juge, Ordinis Syndici in Curiis Parisiensibus. Numero 4^o huius Libelli, haec scribit Le Juge: «Petit de novi excudi et typis mandari Bullas Summorum Pontificum, diplomata regia, edicta ipsius Regis Consilii et alia arresta quae ad Privilegiorum et immunitatum Ordinis confirmationem pertinere videntur, maxime illa quae ad exemptionem Decimarum, Beneficiorum Curatorum in statu regulari continuationem et restitutionem exuviarum defunctorum Parochorum percipiendarum usum et possessionem in unaquaque Ecclesia ad quod Tribunal seu Iurisdictionem recurrere possit et debeat, ex illis instrumentis cognoscere possit et sua tutius iura defendere, quae omnia et singula dicti Patris Nicolai le Juge puncta et momenta Capitulum approbavit et suum sortiri effectum mandavit».

4. Tandem quod spectat ad festa Beatorum Ordinis celebranda in Ordine, in sessione sexta Capituli, abbas Rothensis⁴⁰) quattuor proposuit nomine Abbatis Steingadensis⁴¹) quaesita solvenda a Capitulo.

³⁸) Cfr. Pl. LEFÈVRE, l.c., p. 29 s.

³⁹) Carolus Ludovicus Hugo (1667-1739) abbas erat Stivagiensis (Etival), antea abbas coadiutor et abbas titularis Fontis Andreae. Permulta documenta historica pro conficienda historia Ordinis collegit; quorum plura edidit. Potissimum in suis Annalibus. Cfr. L. GOOVAERTS, l.c., t. III, p. 110-129; M. GEORGEL, *L'abbaye d'Etival*. (Bibliotheca Analectorum Praemonstratensium. Fasc. 3). Averbodii, 1962, pp. 161-176.

⁴⁰) Annis 1711-1744, Hermannus Vogler abbas fuit Rothensis. Cfr. N. BACKMUND, o.c., t. I, p. 81.

⁴¹) Abbas Steingadensis (annis 1708-1715) erat Antonius Erath von Erathsburg. Cfr. N. BACKMUND, l.c., t. I, p. 53).

Inter quae haec leguntur relate ad quaesitum tertium : «An non liceat celebrare festum Beatorum sancti Ordinis nostri, et qua autoritate id fieri debeat, respondit Capitulum licere celebrare, idque secundum litteras D. Procuratoris Generalis nostri in Curia Romana, qui saepius requisitus super hoc, respondit Bullas Pontificias in contrarium allatas non respicere Ordinem nostrum».

J.B. VALVEKENS, O. Praem.

Le père Robert, de Jeand'heurs

Aux confins de la Champagne et du Barrois s'étend la vaste forêt de Trois-Fontaines, qui aujourd'hui chevauche sur trois départements français : la Marne, la Meuse et la Haute-Marne. De part et d'autre de cette forêt s'édifient au moyen âge plusieurs abbayes importantes. En Champagne, dans le diocèse de Châlons, les cisterciens s'installent en 1118 à Trois-Fontaines et à Cheminon en 1138. Dans le Barrois, relevant du diocèse de Toul, les prémontrés s'établissent à Jeand'Heurs en 1140¹⁾ et l'année suivante à Jovilliers²⁾.

De nombreuses chartes attestent l'existence de relations entre Jeand'Heurs et Trois-Fontaines aux XII^e et XIII^e siècles. Avec Cheminon des rapports se nouent dès 1268, quand l'abbé de «Jandures» donne deux rentes³⁾ et se poursuivront ultérieurement, car les deux monastères possédaient des biens mitoyens à Contrisson et à Robert-Espagne.

C'est un problème d'un tout autre ordre que traite un dossier du XVIII^e siècle, conservé aux Archives départementales de la Marne.

¹⁾ Abbaye Notre-Dame de Jeand'Heurs, reconstruite à partir de 1725 par Nicolas Pierson, frère prémontré. Après la Révolution le maréchal Oudinot y demeura. Edmond Goncourt y séjourna fréquemment (Commune de Lisle-en-Rigaut, Meuse, France. Visite du 10 juin au 20 juillet)-Archives départementales de la Meuse, 27 H 3 (cartulaire, biens et droits, etc., de 1120 à 1791) — H. LABOURASSE, *Notice sur l'abbaye et le domaine de Jandures*, dans *Mémoires de la Société des Lettres, Sciences et Arts de Bar-le-Duc*, 3^e série, t. VIII, p. 1 à 224. — M. ARNOD et J.L. DEMANDRE, *L'abbaye Notre-Dame de Jandures* (Syndicat d'Initiative, Mairie de Bar-le-Duc).

²⁾ Jovilliers, ruines près du village de Stainville, Meuse, France. — Archives départementales de la Meuse, 28 H 1-2 (biens et droits et inventaires de 1468 à 1791).

³⁾ BARTHELEMY (E. de), *Recueil des chartes de l'abbaye Notre-Dame de Cheminon*, Paris, 1883, p. 130.